AUTHOR:

PUCHTA, CHRISTIAN R. H.

TITLE:

DE KANTIANISMO INSTAURANDO

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

[1838]

Master Negative #

93-81187-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Puchta, Christian Rudolf Heinrich.
De Kantianismo instaurando; dissertationem ... scripsit Christ. Rud. Henr. Puchta... Erlangae, typis Kunstmannianis [1838]
34 p. 24cm.

Thesis, Erlangen, 1838.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-22-93
INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

KANTIANISMO INSTAURANDO

DISSERTATIONEM

AUCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHORUM AMPLISSIMI

DIE XI. AUG. MDCCCXXXVIII.

PUBLICE DEFENDENDAM

SCRIPSIT

CHRIST. RUD. HENR. PUCHTA,

PHIL. DOCTOR, ORDINI THEOL. REPETENTIS TITULO ADDITUS.

ERLANGAE,

TYPIS KUNSTMANNIANIS.

Perscrutanti mihi saepenumero animoque perpendenti, quaenam sit recta rerumque veritati aptissima philosophandi ratio, praecipue cum hac ipsa aetate in summam veteris artis perturbationem inciderim, et tum prope omnium philosophicarum rerum discrimen denuo agitatum, tum principia ipsa elementaque doctrinae gravissimo certamine jactata videam; nullum certe, donec decisa illa lis est, inveniri posse videtur adjumentum, nisi ad simplicissimam quandam cogitandi methodum vel regulam confugerimus, quae mihi quidem haec videtur esse: decere quidem philosophari, nulla tamen de re philosophari non decere. Id enim inter omnes constat, arti philosophicae eum ceteris artibus hoc convenire, quod modus vel uti dicunt methodus agendi ab ipsa re, de qua agitur, differat; neque id quidem aeterna quadam et ut ita dicam coelesti ratione (hoc enim negant), sed pro humana nostra et temporali necessitudine, ex qua ipsius studii quod Graecorum maximus amo-

rem sapientiae aptissime nominavit, tam vigor quam varietas oritur ac redundat. Quod ne illi quidem abnegabunt, qui summam scientiae laudem ex eo potissimum dicendi genere quaerendam esse statuunt, quo discrimen ipsum quasi solutum appareat, proque varietate unitas, pro libertate necessitas, pro amplitudine copiaque rerum ipsius numinis vel nominis perfectio expressa esse ac descripta videatur. Hoc enim ipsum nonnisi finem esse atque exitum totius artis ipsi concesserunt; primordia vero et fundamenta scientiae in illo ipso discrimine posita sunt, quo fit ut ars philosophandi nonnisi modum ac formam, rerum autem ipsa varietas materiam discendi docendique praebeat. Quare si quis (ut Ciceroniano sermone utar) omissis rectissimis atque honestissimis studiis rei et veritatis, consumit omnem operam in praematura utriusque causae permixtione, quam absolutam vocare solent cognitionem, quae tamen re vera nonnisi dicendi imo fabulandi exercitatio est, is inutilis sibi, perniciosus doctrinae civis alitur, neque verae philosophiae quidquam, nisi inanem speciem proferet; qui vero ita sese armat methodo et ut ita dicam eloquentia philosophiae, ut rerum gravitatem non debilitare sed defendere potius et augere pos-

sit, is mihi vero philosophi nomine dignus fore videbitur.

Ac si volumus huius rei, quae vocatur philosophia, sive artis, sive studii, sive exercitationis cuiusdam, sive facultatis a natura profectae, considerare principium, docebit nos historia ipsa, rem ita sese habere. Nam fuit tempus, cum homines nondum philosopharentur; res autem ipsae, de quibus erant philosophaturi, nullum quo non fuere tempus cogitari potest. Quapropter eos ipsos, qui antiquissimis temporibus vel maxime hac de causa excelluerunt, minime ex arte quadam ad res, sed ex rebus ad artem venisse certum est. Nec quidquam interest, utrum ex hac an ex illa rerum parte sint egressi; tanta enim iis videbatur rerum esse concinnitas, ut, qua ex parte procederent, etiam ab extremis et quasi vilissimis ad summa quaeque et intima patentem atque apertam fore viam coelesti quadam divinatione persuasum sibi haberent. Videbatur enim illis rerum universitas aspicienda tanquam circulus esse, cuius unum centrum, latissime tamen profusa esset peripheria; qua cum nos ipsi teneremur, summam inter radiorum varietatem illud tanquam certissimum et firmissimum esse servandum, ad quod omnes undique possent pervenire. Neque vero ex

his tribus universae substantiae attributis seu argumentis unum potissimum quasi sapientiae scopum eligebant, sed, ut ipsa rerum natura nonnisi tribus simul composita et perfecta est, ita solam esse sapientiam eam existimabant, quae centrum unacum peripheria radioque concepisset.

Quodsi historiam philosophiae accuratius introspexeris, ne ab illis quidem, qui de natura rerum primi quaesiverunt, causam aliter tractatam esse videbis; praesertim cum in ipsa quam consueverant naturae descriptione modum quendam ac terminum sibi paravissent, ex quo disserendi philosophandique ratio omnis flecti ac limitari posset. De natura enim ita dicebant, ut eam dividerent in res duas: ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se praebens. In eo, quod efficeret, vim esse censebant; in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam; in utroque tamen utrumque. Neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim adesse sine aliqua materia. — Quodsi veteres de sententia sua nos ita certiores faciunt, quis tandem est tam rudis, tam omnis scientiae expers, quin statim sentiat, eam ipsam, quam illi rerum naturam descripserunt, jam philosophiae esse naturam. Nam

in philosophia quoque discerni possunt tam causa efficiens, quae ars et vis est, quam materia sese praebens, quae est rerum veritas. Quid? quod in eo quoque summum nobis praebetur similitudinis specimen, quod utramque, vim et materiam, vel arctissime conjunctam esse docuerunt, neque unam sine altera exstare. Nam et hoc philosophiae decus atque ornamentum est, quod tantis compagibus est arctata, ut frustra disjungere coneris artem a materia, verbum a re, vel ut ita dicam, animum a corpore; et ne scintillula dubitationis maneat, quidnam sit et quam ingenuum naturaeque ipsi insitum et quasi imbutum philosophandi studium, neve quisquam porro audeat dicere, nonnisi hominum commenta fictitiasque nugas ac somnia venerando hoc philosophiae nomine abusive decorari, audiat nunc et comperiat a nobis, vel sibi ipse potius dicat, nil esse philosophiam nisi recuperationem alterius ac sublimioris, imo subtilioris naturae; illius enim naturae, quae in spiritu et capite nostro sedem ac thronum habet; quae imago est et apaugasma omnium rerum creatarum; cujus fulmina notiones sunt, quas verborum tonitrua sequuntur; cujus tanto ac tam coelesti imbuta sunt membra spiritu, ut ex uno totum, ex toto autem quidvis re-

viviscere possit ac renasci. Ideoque ut in externa rerum natura materia sine vi, corpus sine animo stupet atque extorpescit, animus autem sine corpore diffluit, sic in philosophia quoque res sine sensu mortuae sunt; sensus vero sine rebus omnino nihil.

Quare si quis rectam philosophandi viam voluerit ingredi, non debebit illius Amafanii aut Rabirii similis esse, qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant; nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putant. (Cic. A. Q. I. 5.). Neque enim hos, neque illos licet sequi, qui nostra aetate artem ab omni vita naturaque vacuam atque exhaustam student componere; qui nonnisi nomina et qualitates notionesque sciunt, quarum perpetua quasi magicae cujusdam et occultae formulae incantatione vastum illum ac horribilem rerum gurgitem adstringere conantur et refercire. Scilicet per omnia, quae miro verborum labore atque summa disputandi ambiguitate miscere potius quam evolvere student, ahenea illa et irrefragabilis Dyas, Essendi et Sciendi, Fiundi et Cogitandi, Materiae ac Formae, nunquam victa, nunquam confessa, nunquam stare coacta, denuo semper perrumpit et effugit. „Veteres metaphysici, ajunt, cogitandi facultatem pluris aestimabant, quam nostra aetate solitum est. „Nihil enim in rebus verum ac firmum esse „statuerunt, nisi quod cogitatum esset. Non „res ipsas, sed res tanquam cogitatas, sive „rerum notiones reales esse docuerunt.“ Sed, mehercle, quis erit, qui realia cogitet, nisi ipse antea realis sit? Omnino sane cogitatio est summa et apex rerum; sed ipsa est res, venit ex rebus, rerum ope gignitur. Quodsi verum est, Esse et Cogitare in cogitando fieri unum, hoc verius est: Esse et Cogitare praeter et ante cogitandum esse duo. Et hunc dualismum explicare, viamque aperire, qua haec dyas in monadem colliquescat — hic Rhodus est, hic salta. Recentiorum autem id nemo praestitit; contenti enim fuerunt talibus verbis, quae sexcenties apud illos legere possumus: „Esse est Cogitare, Cogitare est „Esse; et tamen Esse non est Cogitare, Co„gitare non est Esse. Purum Esse et purum „Nihil idem est. (Per consequentem rationem illud quoque confitendum erat: Purum cogitare et purum Nihil idem est.) „Fieri est Unitas essendi et nihili,“ etc. etc. verba, quae per se clara et perspicua sunt, imo claritate clariora et perspicuitatem ipsam per-

lustrantia; quippe quibus nihil edicatur, nisi quod ab infantia quisque sensit et compertum habet; quod a modestis ita exprimitur: „Nescio; naturae meae est, nescire;" a superbis autem: „Inscitia mea vera scientia est." —

„Communis vero hominum sensus (ita „docent) philosophiam corrupit, cum veritatem „rerum in sensuali ac materiali realitate collo„caverit, neque aliam cogitationibus substan„tiam et firmitatem tribuerit, nisi quae iis ex „rebus externis affluerct. Ita vero ratio se „ipsa abnegavit et abjuravit; nam usque eo „sese exinanivit, ut nihil esse vel scire sese „confiteretur, nisi subjectivam veritatem." At si communis hominum sensus, philosophia corrupta, id invenit, rationem esse „subjectivam cognitionem," quid, quaero, nisi veritatem ipsam jam inventam esse confessi sumus? — Equidem nego, communem sensum hoc invenisse. Est enim summae ac perfectae scientiae, cognovisse et docere, cur et quomodo et quatenus ratio humana „subjectica sit veritas *)."

*) Quam diverse ab his novissimis Scholasticismi artificiis olim Benedictus Spinoza rem rerum et causam causarum tractaverit, jam ipse nobis dicat. Ita enim scripsit: „Ens dividendum est in Ens, quod „sua natura necessario existit, et in Ens, cujus „essentia non involvit existentiam nisi possibilem. „Hoc ultimum dividitur in substantiam et motum; „non vero in substantiam et accidens. Nam accidens „nihil est praeter modum cogitandi." — Intelliget enim sine dubio, qui sanae mentis est, in his paucis verbis plus veritatis ac cognitionis conclusum esse, quam in omnibus eorum, qui Logicen solam adorant, libris et librorum commentariis. — Ubi vero Spinoza ita docere pergit: „Vita est vis, per „quam res in suo Esse perseverant. Vis, qua Deus „in suo Esse perseverat, nihil est praeter ejus essen„tiam. Mutationes in Deo nullum habent locum; „nam solus est omnium rerum causa et a nemine „patitur. Omnis enim mutatio, quae a voluntate „dependet, fit, ut subjectum suum in meliorem mu„tet statum, quod in ente perfectissimo locum ha„bere nequit" — summum illum novae philosophiae auctorem a se ipso descendisse ac delapsum esse apparet. Jam ipsa enim creatio, quam Spinoza tanquam modificationem seu mutationem divinae substantiae describit, ex illis terminis non amplificatio et perfectio, sed depravatio potius ac degeneratio aeterni numinis nominari debebat. At tamen si Spinozae rationalismum cum simulato novorum quorundam realismo comparamus, ambabus manibus illius viri imbecillitatem verecundam ac severam immodico nostrorum dierum corybantismo anteponemus.

Jam vero, si nova ista philosophandi methodus ac schola, quomodo tribus gradibus

per Kantium et Fichtium usque ad extremam Hegelianae abstractionis consummationem perfecta et expolita sit, accuratius investigaverimus, quis erit, quin fateatur, omnia, quae supra diximus, ultimo loco confirmatum iri? Illius enim Regiomontani magistri explorationes criticae nihil aliud docuerunt, nisi hoc: modos cognitionis omnino discernendos esse a rebus ipsis. Res enim, quales per se sint, neutiquam nullaque ratione posse cognosci. Praedicata vero atque accidentia, quae mens humana rebus attribuere soleat, nequaquam rebus ipsis inhaerere, sed nonnisi modos esse apparendi. Quaecunque enim de rebus praedicentur, e. g. colorem, saporem, aestum, pondus, lucem, quin etiam primarias illas quas dicant rerum qualitates, expansionem, locum, materiam, spatium, nihil esse nisi ideas vel formas intuitionis nostrae. Itaque Kantius duplicem illam et ambiguam cognitionis naturam plane agnovit, neque ullum reconciliandi et conjungendi periculum facere ausus est. Quod autem ille modestissimus vir sibi denegavit, id philosophus Jenensis magno ingenii sui strepitu praeceps ac propediem perficere conabatur. Docuit enim, res omnino non esse; realem solam esse conscientiam. Quoniam vero omnia, quae antea

rebus erant attributa, jam in conscientia erant ponenda, tantum abfuit, ut remedio isti vel amputationi rerum apud aequales laus tribueretur perpetua, ut extemplo a tali tamque arido abstractionis et idealismi apice ad serenos profundosque veri realismi fontes recederent. Attamen anfractus logici nondum experti erant omnes, restititque Tubingensi magistro, ingenti cum studio ac sudore ultimum abstractionis cacumen tanquam babylonicae turris imponere coronidem. Neque infitiari possis, huius viri laborem summum esse ac solidissimum, qui ex hominum memoria contra naturam susceptus est. Est enim in hac rerum et dismembratione et commixtione talis ac tanta ἐνεργεία, ut, quicunque huius artificii vinculis semel implicati sunt, veritate ipsa vix possint expediri. Quis enim erit, qui illos doceat aut convincat, quorum confessio ita scripta est: (cf. Hegelii Logices Tom. I.) „A principio non differunt cogitare et esse. „Vera et una existentia est cogitatio. Nihil „extat, praeter notionem. Logica est regnum „purae cogitationis; idque regnum est veri„tas ipsa, qualis sine velamento est. Argu„mentum logices Deus est pro aeterna sua „ac coelesti natura, ante creationem mundi „et spiritus humani. Recte docuit paganus

„iste Anaxagoras, qui τον νοῦν principium „mundi nominavit. Substantia mundi nil nisi „cogitatio est. Omnia, quae praeter cogitationem inveniuntur, irrita, vana, vilia mendacia sunt.“ Haec igitur est magna illa et a multis laudata novissimi temporis doctrina, cui jam nomen inditum est a venerabili ac honestissimo viro, qui eam „monismum cogitationis“ praedicat.

Nemini tamen absconditum erit, etiam in hac doctrina veterem illam et infricatam cogitandi duplicitatem neutiquam esse superatam. Naturam enim expellas furca, tamen usque recurret. Ergo hic quoque objectum et subjectum, esse et scire, veritas et certitudo, extra et intra semper manent, etiamsi totis viribus cogitando surripiuntur, abstrahuntur, asportantur. Est enim id ipsum, quod cogitat, nempe caput humanum, res summae et incorrectae rigidaeque realitatis. Quumque omnis notionum realitas, uti pro se quisque scit, in cerebro consistat, et per quinque sensus excitetur, neque alia nisi hac via omnino cogitari possit, quid juvat, hac via perfecta a tergo negare ac dissimulare, quod ipsa conscientia nostra negare ac dissimulare non potest. Etenim num hoc erit rectae et verae conscientiae, nil conscire sibi de mirabili illa et magnifica constructione, qua quidvis cogitatum et cognitum in cerebri cameris commovetur ac colligitur? Ac si Hegelius ipse hoc concesserit (docet enim), veram cognitionem esse nullam, nisi quae rem quamlibet „in momentorum totalitate“ (ignoscat lector benevolus huius verbi barbariem tanto viro) cognovisset, apertum erit, hanc solam esse ac veram „momentorum totalitatem,“ qua genesis cuiusvis rei a materiali principio usque ad spiritualem conceptionem et consummationem comprehensa, indagata, circumscripta sit. Quodsi ratum ac firmum est, haud diutius illam nominemus veram philosophandi methodum, qua res omnino circumvertitur, idque principium statuitur, quod manifesto ultimum atque extremum est. Atqui humanus spiritus et humanae cogitationes extremae sunt ultimaeque res; a quibus philosophia cum incipitur, nescio caecitati cuidam ingenii, an cordis mendacio malis imputare.

Si tamen erit, cui de his sententiam tulisse videar justo severiorem, is utinam ex universa hodiernae doctrinae mole certi aliquid ac firmi nobis afferat. Eo enim molestiae jam venimus, ut, quum innumeris singulorum contentionibus disciplina sit implicata et turbata, neque importunius quidquam cogitari

possit quam philosophia, si a probissimis et honestissimis hominibus interrogamur, quaenam sit tam varii operis origo et finis, nequaquam habeamus, quod ex communi philosophorum assensu respondere liceat; cui malo vel sincerrimus arbiter occurrere non poterit, quin ex tanto definitionum ac limitationum strepitu et concursu quam primum ad aperta et ingenua cogitandi elementa ac primordia disputationem removere vel potius contrahere audeat. Nemo enim ultro negabit, ex his principiis omnem philosophiam excrevisse sursumque tendisse, donec res simplex ac parva ad id exaltationis et dilatationis venerit, ubi universo ipsi similis sit, cujus immensa spatia et loca propterea a nemine possunt circumscribi, quia ultra visum atque intellectum plane in ipsum nihil ac vacuum tendunt. Sicuti vero hoc nihil ac vacuum nonnisi una facies prisci Jani est, quem per antiquissimam relationis categoriam exstitisse tradunt, ita hic recentioris doctrinae nihilismus vel idealismus ab altera parte A l i q u i d ipse postulat, quod distinctius, firmius, plenius, imo visibilius sit, quam ipsa visibilitas. Ad id autem cognoscendum nostra disputandi methodus ac facultas brevissima quaque via progredi studet et conatur. Quodsi quispiam invenerit, ipsa

clavis ac cardo universae philosophiae apparebit.

Atque ad hanc exoptatam studii humani metam nos propius jam accessisse, neque procul abfuturam esse illam aetatem, cui summa et ultima scientiae nostrae perfectio, veteris dissensionis placatio contingat, vix quisquam, modo universum huius temporis nisum qualibet ex parte irretortis oculis persecutus sit, incredibile esse ducet. Inde enim a Kantio, quicquid philosophiae nomine tentabatur, verae cognitionis augmentum fuit; et quotiescunque gradum componebant, gradus fiebat metae propior. Sed illa ipsa, quae hominum animos movebat, futurae pacis spe atque ultimi termini divinatione factum est, ut non pauci in praepetem et immaturam operis confectionem inducerentur. Quorum ab impetu ac fervore rem defendamus, tranquillam et modicam consummationem tueamur, insipientium contumeliis cum totis viribus resistamus necesse est. Id enim cujusvis honesti atque ingenui hominis munus est et officium. Quamobrem ne hoc quidem reticemus, inter magistrum et discipulos, auctorem et scholam hodie magis, quam unquam, esse discernendum. Complures enim sunt, qui hac aetate immortalem laudem sibi paraverint, neque tamen

impedire potuerint, quominus id, quod docuerunt, ab asseclis in detrimentum veritatis perverteretur. Itaque illorum quoque, qui abstractionis summam confecerunt, oleum et opera minime perdita habebuntur; quippe quibus praeceptum ac destinatum fuisset, extremos unius lateris fines emetiri; qua re perpetrata, vera et foecunda doctrina quasi ab Ulixea migratione reversa, nunc eo certius ac citius, si non auream mediocritatem componere, tamen *τό ὄρϑον μέσον,* quod dicunt, vel rem acu attingere possit.

Nemo enim unquam, nisi discordia quadam ac discrepantia superiorum doctorum superata, veros certosque in philosophia fecit progressus. Supervacuum est, tam apertam rem exemplis demonstrare. Quid quod Kantius ipse, qui hodiernae doctrinae princeps ac dux jure nominatur, non unum sed quatuor antecessores sub ingenii sui jugum ita coegit, ut contrarii inter se atque inimicissimi jam ab illo juxta se positi societatem inirent placidissimam. Nec defuerunt, qui tunc omnem philosophiae nisum jam consummatum et summo tanti viri labore ad finem usque perductam scientiam claris vocibus proclamarent. Nihilosecius jam ante Kantium et juxta, ipsi notus simul et ignotus, is exstitit, cujus verbis

propheticis et quae Sibyllino potius luco, quam cathedrae academicae essent congrua, novum ac futurum philosophiae principium tanquam spes bona ac salus ventura praenuntiabatur. Quid autem dicam, quod Hegelius de nemine tam asperam tulit sententiam, tam iniquam, quam de illo ipso Jo. Ge. Hamanno, quem Goethius prae ceteris summa laude exornavit. Scilicet Goethius, deliciae hujus generis et novissimae scholae vel maxime commendatus, futuri quidem temporis homines ab Hamanno institutum iri atque emendatum, tot ponderibus quot verbis vaticinatus est. Nec tamen mirandum. Quis enim dubitabit, quin Saturnus magno cum iracundiae fervore ac tumultu devoraverit illum ipsum *Ἀόρατον* vel *Ἀίδην,* cui destinatum erat, ut posthac una cum vivo fratre Jove fastidiosum ac molestum chronici coeli regem eviraret. Nobis autem, quorum inter pia desideria id est, ut aurea haec, quam dicebant, Saturni aetas cum rixis Titanidarum tandem cesset, pacificum ac sobrium Jovis imperium quam primum oriatur, praecoci illa et praecipiti futurorum numinum internecione deterreri nequaquam licebit. Maxime namque nobis persuasum est, verum ac novum philosophiae progressum fieri non posse, quin principia illa quae ex temporibus Kantii

ac Hamanni adversissimis vestigiis contra se ipsa stare coeperunt, ex tanto inimicitiae rigore liberata, liquefacta, in unam cognitionis speciem ac formam fuerint conjuncta.

Quidquid enim recentiores philosophati sunt, nil nisi circumscriptio vel metatio temporalis seu apparentis essentiae fuit. Nam etsi ista essentia in apparitione spiritus nominatur, tamen de eo, unde spiritus venit, quidnam sit, quomodo eatenus definiatur ac limitetur ut certam spiritus naturam induat, hoc est, de aeterno spiritus numine ac principio nihil innotuit. Spiritus enim ipse, quatenus apparet, duas species vel frontes vel polos (ut dicere solent) prae se fert. Ab una parte illud est, quod ad spiritum destinatum est, quanquam ipsum non est spiritus; quod in κόλπῳ vel sinu aeterni rerum connubii spiritus fit, extra vero et ante hanc intimam conjunctionem aliud quid sit necesse est. Est enim ille semper fugitivus, semper a se ipso attractus, se ipsum repellens Ixion, qui semet ipse sequiturque fugitque; qui nisi per negationem ac compressionem propriae suae et aeternae naturae atque essentiae apparere non potest; scilicet res illa, quae nunquam alienis oculis imo ne suis ipsius quidem conspici potest. Quid enim invisibilius esse

potest, quam numen illius spiritus, qui in apparendo ipso non apparet, qui tum demum est, cum non est? Illud autem numen vel aenigma rerum, an ipsum Nihil, Nihil absolutum, Nihil positivum nominari debeat, mihi quidem hoc loco plane incertum esse videtur; neque ullo justo argumento illi rem suam vindicare possunt, qui statim et extemplo dicunt: Illud, quod apparet, Nihil est. Omnino enim cum apparet, hoc est, cum cogitanti animo sese conspicuum facit et ostentat, tum Nihil est. Sed ex hoc ipso concludendum est, hunc nonnisi modum existendi, nequaquam vero unicam ac veram numinis essentiam esse. Itaque rectius rem ita definire possumus, Nihil esse externum numinis latus; internum plane incognitum esse. Et placuerit forsitan, internum latus *τὸ εἶναι* nominare. Sed ne hoc quidem juvat. *Εἶναι* enim jam ipsa nominatio concretae ac compositae rei est. Illud autem, quod quaerimus, ante omnem compositionem, simplicissimum esse oportet; nec tamen idem ac Nihil. Imo contra Nihilo inimicissimum esse videtur, et plane oppositum et abhorrens ab eo. Et dum semper fugit, nil nisi ipsum Nihil effugere conatur. Neque enim totius rei natura atque conditio alio modo effingi cogitarive potest. Nam

si illa prima et princeps res jam ipsum Nihil esset, non intelligeremus, cur aliud quidquam fieri vellet. Nam in statu Nihili, si pro ratione aeterna sumitur, jam ipsa quies et unitas et harmonia et beatitudo continetur. Itaque Nihil absolutum vel positivum non exordium, sed finis rerum esse debet; nempe illud Nihil, quod omnium rerum et essentiarum πλήρωμα in semet ipso concludit. Illud autem, quod primae materiae oppositum est, et eam ad summas gravissimasque creationis ὠδίνας stimulat, Nihil privativum et temporale, hoc est, ipsum Vacuum est. Hoc enim est, a quo incognitus ille rerum sinus semper refugit et ad parturientes propriae essentiae concussus incitatur. Eo usque autem plasticas vires extendit, donec solidam suam et concentratam naturam vacuo ipsi aequalem fecerit, hoc est, donec positivum Nihil creatum et constitutum sit. Id autem in prima creationis consummatione et pro terrestri ratione nil nisi spiritus hominis ipse est; nequaquam autem spiritus Dei, cujus historia et genesis cum his terminis nil nisi speciem similitudinis praefert.

Alter vero, quem supra diximus, spiritualitatis polus in ipsa spiritus existentia (non numine) ponendus est. Atqui existentia spiritus est conscientia. Tum enim existit spi-

ritus, cum sui conscius est, hoc est, peracto et perpetrato connubio fugitivae materiae cum natura Nihili. Utraque enim res loco suo cedat necesse est; neque aliud quidquam ex numine proprio licet iis retinere, nisi naturam. Illud vero, quod in utroque subjectum et ut ita dicam persona naturae est, deponant necesse est. Nova autem nunc et temporalis persona, pro aeternis illis, composita est, scilicet ipsa conscientia, cujus pauperem et imbecillum habitum recentiores inde a Fichtio jam satis superque exposuerunt. Nam in hac concreta et limitata re, quae conscientia vocatur, jam vix ullum aeternarum illarum virium ac facultatum vestigium et simulacrum quaeri potest. Est enim illud ipsum cerebrum, quod conscientiae receptaculum recte habetur, res molestissimae imbecillitatis et immobilitatis. Nihil enim potest, nisi cogitare et iterum cogitare; et utique jaceret cum omni cogitatione, nisi in alia et externa re, nempe corpore humano, omnis motus ac nisus facultatem ac potentiam inveniret. Itaque in conscientia ipsa nihil puri et aeterni amplius apparet; quamobrem terminum illum in rebus divinis adhiberi et numini cuidam aeterno conscientiam adscribi, omnes recentiores philosophi jure meritoque vetuerunt, et pro sua quisque parte constanter

ac viriliter vel atheismi periculum et crimen suscipere, quam in culpa violatae philosophicae majestatis esse maluerunt.

Quodsi necessario ex his praemissis sequitur, ea quae hucusque tentata fuerit methodo circumscriptum esse spiritum non aeternum, sed humanum vel temporalem, id ante omnia disciplinae nostrae imperetur necesse est, ne fictitiis dialecticorum artificiis ipsi persuadeatur, quidquam de divino numine vel spiritu adhuc cognitum et repertum esse. Pari enim severitate Kantius olim philosophos jussit, solitos egredi fines, et falsa ovatione inanibusque gaudiis depressis, simulatam victoriae speciem deponere, clamorem sistere, ad novos progressus gradus suos accelerare. Atque ingenua illa Kantianae abstractionis vis utinam reviviscat, ut ille, quem ipse respuit, pseudoidealismus ad extrema realismi principia reprimatur, et ex his more veterum recte ac modeste cognitis ac receptis, ad proprium et verum idealismum semet ipse progeneret. Neque id tam difficile esse videtur, quam multi declamant. Nam ille ipse, qui ab idealistis describitur, promotus logicus vel incessus cogitationum quodammodo ex divino numine ferre debet principium ac causam. Cumque inter omnes, tanquam omnis scientiae

axioma et postulatum, constet, in natura non dari saltum, haud immodicae videtur esse fiduciae, hac via aliquid, si non de persona, certe de natura dei cognoscere, itaque ad vera rerum principia ascendere. Ubi enim motus quidam et progressus est (est autem etiam in his internis rebus), prius non sine posteriori, posterius non sine priori cogitare licet; neque enim deerunt in effectu vestigia purae facultatis, neque in ipsa causa futurae propagationis semina.

Quae cum ita sint, quid impedit, quominus ex iisdem modis ac formis, a quibus Kantius egressus est, vera philosophandi initia quaeramus? Spatium namque et Tempus illi visa sunt extrema disceptationis fundamenta. Universam externi mundi copiam ac varietatem pro sui argumenti ratione in duas illas notiones compressit; nondum divinare ausus, etiam hanc dyadem ad unitatis speciem esse coagulandam. Nam revera idem est spatium, quod tempus est; spatium enim nihil est, nisi temporalis motus, ad firmam et concretam existentiam ac formam coactus. Tempus autem, quod Kantius nulla nisi lineae rectae specie ac natura comprehendi posse fatetur, nil est nisi successus ipse spatialium reactionum, quae contra illam stabiliendi vim ac

potentiam fiunt. Sed haec descriptio, qua nil promtius esse videtur, ab ipsa Kantii methodo abhorruit; quippe quae in perpetua intuitionis fuga constiterit. Itaque tota ejus doctrina nil nisi sempiternus recessus est, quo ab ipsis rerum statibus ac formis in notionis substantiam sese recepit et cochleae instar contraxit. Attamen haud minorem rem, quam ipsam cogitandi genesin et cogitantis numinis conceptionem hac via quaesivit. Fore igitur praescivit, ut hac recedendi et contrahendi methodo numen existeret et appareret. Ast unde haec praescientia? Quidnam est, quod cogitando hanc viam aperuit, imo praecepit? Respondebit quispiam: Cogitatio sibi ipsa. Atqui cogitatio nil est, nisi haec via; et plus quam ridiculum foret dicere: viam ipsam in via progredi; viam a via ipsa aperiri. Ergo a priori postulatur, neque amplius demonstrari potest, cur numen cogitans hac via procedat. Quid autem est hoc, a priori postulare? a priori cognoscere? Nam illa ipsa notio a multis abusive et plane perverse usurpatur. A priori certum id est, quod non in se, sed in priori habeat certitudinis fundamentum, ita autem, ut id ipsum prius ab eo non discerni possit. Illud igitur, quod cum priori seu cum causa sua unum idemque est, id solum a

priori certum est. Ergo nihil extat a priori, nisi quod sensu quodam causa sui est. Atqui spiritus humanus, quatenus in cogitando causa sui est, extat a priori; quatenus autem in existendo non idem est cum priori suo, nova statim quaestio oritur: quid sit illud prius, quod nondum omnibus numeris ac modis cum spiritu unum idemque factum sit?

Est autem inter gravissimos philosophorum errores referendum, quod iusto saepius a primis notionum elementis et incunabulis ad ultima quaeque et remotissima transsiliebant; pictorum non dissimiles, qui per ludibrium humanas imagines capite et pedibus, omisso reliquo membrorum nexu componunt. Hujusmodi enim imaginem nos quoque construeremus, si ita ratiocinando pergeremus: Illud, quod in spatio ac tempore se disposuit, ipse Deus est. Deus est unitas vel indifferentia spatii ac temporis. Eodem enim jure, vel majori, dicas: Illud, quod spatio ac tempori substat, Deum non esse, sed ἀντίθεον quiddam. Deum autem illo ipso actu deum esse, quo hoc ἀντίθεον sibi subjiciat, et in contrarietatem spatii ac temporis frangat et dissecet. Sed ne hoc quidem cum justa cognitione congruit. Quaeritur enim extemplo, unde et ubi illud creationis substratum sit;

utrum extra deum, sed ab eo per accidentem modum gubernatum, an ex deo ipso et apud deum, substantiali ratione ab eo possessum. Et hanc quaestiones et alias innumeras innumeris modis solvere possis, dummodo pura abstractione et dialecticis artificiis sis contentus. Nos autem petimus unam ac veram responsionem; quae minime ex purae notionis variabili et mutabili natura, sed ex ipsius naturae firma et incorrupta notione, vel, ne facetias loqui videamur, ex rerum historia et successu haurienda est.

Nunquam verius quidquam dictum est, quam quod Kantius (Krit. R. V. p. 70.) his fere verbis profert. Si quis, ait, spatium ac tempus in numero vere accidentium velit habere, ita ut utrumque in rebus proprie inesse statuatur, ideoque doceat, duas esse infinitas res, quae neque substantiae sint, neque substantiis inhaerentia, attamen vere existant, imo necessariam omnis existentiae conditionem contineant, et restent, etiamsi res ceterae radicitus extinguantur, quid, quaeso, ineptius esse possit? Nonne sua cuique vita et substantia, si tali portento ac prodigio, quale tempus reale est, fulcitur, in puram fictionem permutata videatur necesse est? — Et haec quidem Kantius vere ac verissime.

Cur autem in eo constitit? Nonne statim pergere et ita concludere debebat: Concretum vel reale spatium omnino cogitari non potest; atqui res singulae cogitantur in spatio; ergo id quod cogitari non potest, ipse sinus est ac gremium omnium rerum. Et quia id per se cogitari nequit, cogitatur in singulis rebus. Ergo rerum cogitatio necessario gignitur ex eo, quod spatii realitas cogitari non potest. Impossibilitas scilicet concreti spatii gignit rerum necessitudinem. Atqui concretum spatium idem est ac vacuum. Ergo impossibilitas Vacui causa rerum est. Quid autem hucusque cognovimus? Semper idem diximus. A = A. Id autem magni aestimare non possumus. Verae enim cognitionis schema synthesis est, A = B. Quodsi synthetica notione potiri vellemus, ita pergendum esset: Si spatium se ipsum vult cogitare, hoc est, sui conscium esse, hoc est, revera esse, necessario per res singulas se cogitare debet. Id autem hoc loco nil nisi dialecticum artificium esset. Sinamus igitur, praesertim cum jam monstratum sit, quod monstrare voluimus; scilicet, Kantii abstractionem in sua ipsius natura aliquid habere, quod rursus ad realitatem spectat, imo repellatur.

Simili autem modo in logica transscen-

dentali notionibus, conceptibus, judiciis ipsis forma vel figura actionis seu motionis cujusdam a Kantio imprimitur. Deinde statuit relationem et connexum quendam inter judiciorum singulorum partes. Quid quod pars ipsa nisi in spatio cogitari non potest. Et statuit consequentiam ac causalitatem notionum; quae rursus sine tempore cogitari nequeunt. Neque ignorat hoc vir tantae sagacitatis; ipse potius scripsit: Sine aesthetico intuitu formulae logicae omnino vacuae essent. Vacuum autem in cogitatione non minus quam in spatio idem ac nihil est. Ergo, ait Kantius, semper ad Synthesin propellimur. Synthesis autem ex caeca quadam sed necessaria animi facultate, nempe imaginatione, oritur. Quibus verbis idem de cogitando concessum est, quod supra de spatio ac tempore praedicabatur. Scilicet cogitandi vis ac facultas semet ipsa possidere vel constituere nullo modo potest, antequam ex temporali vel spatiali successione seu motione materiam existendi sumserit. Ergo cogitatio quoque per se non est; sed vera ejus et concreta existentia ex eo gignitur, quod extra eam concretum ac reale est. Attamen est aliquid cogitatio; nam si omnino nihil esset, etiam per reales motiones existere non posset. Ergo est, et non est. Quod vero nunc de

cogitatione concedendum est, antea de realitate spatii quoque et temporis concedendum erat: est, et non est. Quod quid sibi velit, attento lectori non absconditum erit.

Et haec quidem hactenus. Possemus quidem, si per hujus loci fines liceret, hanc deductionem per omnem criticae philosophiae conatum et per quaelibet Kantii scripta facile perducere. Et proposui mihi, alio et ampliori loco tale perficere, ita quidem, ut merita illius viri, quae nuper paene obruta sunt ingratissima oblivione, aequalibus nova luce aperiantur. Nam ex mea quidem sententia nemo philosophorum est, qui dux juventutis aptior et melior possit nominari, cujusque ex scriptis magis solida et sobria huius studii incrementa possint hauriri, quam Kantius. Summa vero huius laudis documenta, et quae simul optima et gravissima novae methodi auxilia contineant, quaerenda sunt ex illa Critices parte, quae de ideis disputat, quaeque in memorabilem desinit confessionem, quam quominus his verbis reddere coner, denegare mihi non possum. Quamvis rationi humanae, ait, per tria elementa, scilicet intuitum, conceptum et ideam, tales cognoscendi fontes sint aperti, quales ab omnibus experientiae finibus ac modis omnino liberati et

reducti esse videantur, perfecta tamen nunc critica inquisitione constat et apparet, illam rationis libertatem nullam esse ultra realitatis experientiam et extra possibilitatem, neque alia de causa summam illam cognoscendi facultatem menti esse inditam, quam ut naturam ipsam usque in intima loca persequatur atque investiget, adhibitis omnibus, quae menti imbuta sunt, unitatis principiis, inprimis illo, quo gravius et altius cogitari nequit, teleologico scilicet, nequaquam autem extra naturam et ultra tendat ac intatur, cujus extra fines nil nisi vacuum ipsum possit inveniri. (p. 730.)

Restat, ut paucis ostendam, quantum talis methodus, qua philosophia certis circumscribitur finibus, reliquis disciplinis afferat momentum. Illa namque constituta, cum ipsa philosophia ultro universam rerum copiam et inprimis historicarum ac positivarum scientiarum auctoritatem summa cum verecundia agnoverit, non erit amplius, cur timeamus, ne firmae et apertae cognitiones per ambiguas Scholasticorum definitiones et limitationes, vel per immodica Theosophorum somnia et commenta perturbentur. Prae ceteris autem Theologi suam disciplinam munitam ac servatam videbunt. Nam divinarum rerum cognitio

et experientia, quae huic doctrinae tradita est, minime logicis quibusdam formulis concludi et e solo intellectu elici posse mox inter omnes constabit; siquidem quodlibet cogitatum ex reali principio oriatur necesse sit. Nam omnis cogitationis una eademque lex est. Et si deum cogitas, eodem modo et eadem via notiones concipias necesse est, ac si aliud quid cogites. Atqui cogitatio sine concordia quadam interna cum principio materiali existere omnino non potest. Ubi enim hanc concordiam cum formis intuitionis sustuleris, abstracta quoque cogitatio argumento, materia, veritate caret. (Cf. Kant. Crit. Ed. III. p. 102 sq.). Quamobrem jam supra monuimus, puram et evacuatam cogitationem idem ac nihil esse. Ergo deus quoque cogitari nequit, nisi eadem illa conditione; scilicet ut realis quaedam concordia vel configuratio antecedat. Quicquid autem sine tali cogitatur, vacua neque veri sed falsi numinis cogitatio est. Et si quae de rebus divinis hujusmodi falsae cogitationes extant, aliam non habent originem, nisi ex diversis et variis configurationis vel concordiae illius modis. Quod si negas, hoc contendas oportebit, quamvis abstractam cogitationem per se aequalem esse cogitationi dei, ita ut, quaecunque intuitionis forma a te abstracta ratione et methodo cogitetur, in ea jam deus ipse cogitatus sit. Exemplo utar. Ubi rerum varietatem per spatia ac tempora dislocatam cogites, ita deum cogitasse tibi non videris; sin unitatem, deum cogitasse tibi videris. Et si diversa cogites spatia, deum

non cogitaveris; sin spatium absolutum vel ipsum vacuum, deum cogitaveris. Quod quanto et quali ex errore natum sit, jam supra demonstravimus. Tali enim opinione divino numini minus quam ulli tribuitur. Quid enim ausit aliquis ita definire, ut nihil esse dicat, nisi formam cogitationis? Dei autem notionem ita definire audent. Et omnem rem cum ab hoc vel illo existentiae suae modo discernendam esse doceamur, deum non discernendum esse docemur. Quid quod deum non solum cum modis vel attributis suis, sed etiam cum operibus ac creaturis unum esse volunt; ita ut summam divini numinis perfectionem eam praedicent, quae angustissima necessitas et extremae libertatis mors est. Unde theologicis scientiis quantum detrimenti ac damni sit allatum, jamdiu peritis compertum est. Inde etiam falsus scepticismus originem duxit. Nam falsus scepticismus is est, quo propterea de dei existentia dubitatur, quia deus a rebus discerni nequeat. Verus autem scepticismus is est, quo in ipso numine talis ac tanta ponitur vis ac vita, ut praeter solam essentiam existentia non possit cogitari. Talem ad scepticismum, quo ex fortuita rerum natura ipsius numinis libertas ac potentia cognoscitur et agnoscitur, si quis philosophiam provehet, is majorem, quam multi hodie credant, scientiis singulis utilitatem afferet, et multam inter eas pacem conciliabit.

THESES.

1. Omnis scientia historia est.
2. Historia nisi per motum voluntatis non est.
3. Id quod historiae principium est, philosophiae quoque recte habetur.
4. Spinoza voluntatem male definivit; unde doctrinae ejus vitiositas.
5. Pantheismus a philosophis nondum superatus est.
6. Kantius rationem facultatem ingenii summam nominavit, nec tamen summam habuit.
7. Discretio est motus; motus est negatio; negatio est positio.
8. Polytheismus semper Tritheismus est.
9. Monotheismus philosophicus a Monotheismo theologico non materia, sed forma differt.
10. Si deus se cogitare vult tanquam deum, duplicem se ponit; et si duplex positus est, tum demum cogitat se tanquam unum.
11. Absolutum dei numen non centrum, sed peripheria divinae naturae est.
12. Centrum est personalitas.

13. Ascitas divina non initio, sed in fine ponenda est.
14. Omnia attributa sunt unum in deo, non idem.
15. Si creatio esset aeterna, deus ipse temporalis foret.
16. Aut deus est creator mundi, aut mundus creator dei; tertium non datur.
17. Qui deum et mundum uno momento ponunt, ii proprium et diabolicum dualismum docent.
18. Successio est vita; simultaneitas est mors.
19. Si deus vita est, a successione semet ipse excludere non vult.
20. Quod Kantius schema nominat, a Platonis idea non differt.
21. Corpus non minus quam anima simplex est.
22. Logica a Grammatica non secernenda.
23. Omnes cogitationes, etiam mathematicae et logicae, ex physicis conditionibus ac causis exortae sunt.
24. Extat divinum jus dubitandi, siquidem sine dubitatione nulla cognitio est.
25. Vera principia omnium rerum veri quoque fines sunt.
